

II
g
176

A. Ω.
AUSPICIIS DIVINIS
 IVEENTE' SIC
AMPLISSIMO
CONSULE ET SENATV
 FLORENTISSIMAE CIVITATIS
 LAVBANENSIS
 VIRO CLARISSIMO
IMMANVELI FRIEDERICO
GREGORIO
 AA. M.
 SANCTIORIS ELEGANTIORIS QVE' LITTERATVRÆ
 CVLTORI' PRAESTANTISSIMO
 ITEM' QVE' REGIAE SOCIETATIS TEVTON' REGIOMONT'
 SODALI' DIGNISS.
MVNIA· CORRECTORIS
 IN· LAVBANO· LYCEO
 PVLICA· PANEGYRÌ ET· SOLLEMNI· FORMVLA
 A' SE' DEMANDANDA
 INDICIT
 ATQVE' SIMVL
OMNES· BONAE· LAVBAE· PROCERES
 ET' QUOTQVO' PER' OMNES' ILLIVS ORDINES
 SCHOLAE ET IPSIS LITTERIS
 AVT' PRAEVNT' AVT' BENE' CVPIVNT
 AD' ISTHAC' SOLLEMNIA
 D' XI' JANVAR' RECENTIS ANNI' CD ID CC'L HOR' IX' ANTEM' CELEBRANDA

FESTINATA HAC
DE OTIO SCHOLARVM NEGOTIOSO
 PROLVSIONE

DEMISSE' ET' PERAMANTER
 INVITAT
M· SAMVEL· SEIDELIVS
 LAVEI' RECTOR
 SOCIETATVM TEVTON' LIPS' AG' LATINA' IENENS'
 SODALIS

LAVBAE EX CHALCOGRAPHEO SCHILLIL.



LECTORIBVS ΚΑΛΟΚΑΓΑΘΟΠΑΤΙΑΝ,

Cum, quam in fronte huius tabulae indiximus, instans Athenaei nostri sollemnitas, haud quidem leuidense; nec tamen proinde molestum negotium iis facessat, penes quos est rei scholasticae custodia: ecce non simul hariolemur, fore plerosque plebis ἀμάσου et profanae, quibus, ut est in Gracorum proverbio, δεν̄ tantum περὶ φυσιῶν, mira de lente, crepare videbimur? Et hi fere sunt, qui, dum autuunt, cum litteras in uniuersum, tum maxime scholas, nihil πρὸς ἀλογία, h. e. ad fōrdidulos, eosque tamen paulo luculentiores quæstus conferre posse, consutius esse censem, tollere eas prorsus cum *Carlstadio*, *Munzero* et aliis, e medio, quam quidpiam amplificationis, ornamenti illis tribueri; haud aliter, ac si ipsas adeo scholas, illa certissima salutis publicæ plantaria! ferirent, quæ contra inertiam, otiumque olim *MENANDER* dixit, qui: ὡς, inquit, πολλὰ θυλεῖς η̄ ΣΧΟΛΗ ποιὲ νανά, quasi nempe societati humanae ex scholis nec commodi nec decoris quidquam sperandum esset; sed ipissimæ potius illi metuendæ *CLAVDIANI innumeræ pestes Erebū*.

At enim vero dignuniant in scholas, quidquid et quoad velint *Epicuri* et *Vacunæ* adeo de gregè porci, superciliosi et praeposteri scholarum Aristarchi: nihil tamen euincent contra bonam ingentia scholæ causam, cuius, quantumvis etiam cauillentur, nomen tantum arroduct, re ipsa intacta et integra, ac, vel in mordacissima otii criminatione tuente φησιονιας laudem et gratiam. Et hoc ipsum est, quod, pace quidem tua, L.B. in praesiēti DE OTIO SCHOLARVM NEGOTIOSO diatriba, quodammodo fusius assertum ibimus.

SCHOLAS ex Graeco vocabulo ΣΧΟΛΗ aequæ, ac ex ipsa sua conditione, otii non nihil præsē ferre, quare dissimilemus? Neque tamen exinde quidquam criminis arbitratur emerge; dummodo in otii notione curatius dispunxeris honestatem illius et dedecus. Quodsi enim de vocibus σχολὴ et σχολάζειν aut SVIDAM, aut salem BÄSILIENSES Septemuīros consulimus, utrobique et collectis ex PLATONE, HESYCHIO et HERODIANO formulis intelligimus, per illas non semper inertem et prorsus otiosam laboris cuiusque cessationem, (immo hanc ipsam paulo infrequentius,) sed potius circumspectam tantum ab illo vel illo negotio vacationem innui: hanc nempe, ut unum tanto acrius exsequamur, quanto nos delibera-tius subduximus alteri. Idem fere de Latinorum OTIARI aut VACARE censem-dum, quæ, si SVETONIVM et ipsum ARPINATEM audieris, quid, obsecro, aliud sonabunt, quæ Hebraeorum חֲבֵד Gracorum Εὐκαιρίαν, aut Germanorum denique *Musse haben?* ut proinde haud idem sint, ac simpliciter Otiari, et aut plane nihil, aut prorsus male agere; sed potius rite, et uti par est, collocare otium et requiem? Nostin CICERONIS de Scipione elogium: *Nunquam illum minus otiosum fuisse, quam cum visus fuisset maxime otiosus.* Et iterum, de se et aliis: *Otiosi sumus, et iis de rebus ogimus, quæ sunt etiam negotiis anteponenda.*

Quæ omnia, cuinam, queso, L.B. in humana societate, ordini aptius directi-use, quam primis sapientiae et virtutis officiis, scholis nimirum, fedulisque in iis operariis conuenient? Proinde iam in Vetere Hebraeorum Synagoga, *Decem primarii illius antistites*, (teste, cum LIGHTFOOT, VITRINGA,) יְשָׁרָה בְּתִלְנִינָה Decem OTIOSI appellati sunt: non quasi desides et otiosi interfluerunt sacris ludicris; sed potius, quod doctrina, experientia, integritate vitae, morumque grauitate et sanctimoniali excellentiores, ea saltē unice uniceque curassent, quæ erant Synagogæ; eique foli vacassent hoc alacerius, quod vacui fuissent ab omni rei publicas profano negotio. Neque vero aliter res habuit in Gracorum Διδοκον-λεῖος, quibus, innuente, I.P. PFEIFFERO, ΣΧΟΛΑΣ vocari, nunquam profecto fuit opprobrio. Quod ad Romanos attinet, nec eos quidem, uti nec Gallos, Italos, Germanos, aliosque usquam puduit, scholas suas, seruato aut Graeco, aut graecisante titulo, ab otio denominari; quod tamen quodammodo apud illos tanto magis suspectum videri poterat, quod ut plurimum et LVBORVM adeo appellatiōnem superimposuerint, quam, si cum otii notione coniunctam scholæ tribueris, ecquid solidæ ex serio labore laudis illis teris manere integrum? Attamen frustra argutat, qui sic Etenim ubi recte dignouris otii rationem et discrimen, quare non crita crimen cum scholarem laudeflare possit, si otiani perhibueris.

OTIA, verum est, SCHOLAE sunt; non ea certe, propter quæ, ut olim, sanctioris Areopagi censuram incurruunt ciues desidiosi, et nihil omnino conferentes ad commoda publica; quorum, nescientium quippe, quid præfugit velint,

ignominiosam prorsus ignauiam pictissime expressit ENNIUS, ipsa illorum verba et optata ad ludibrium effinguntur: *Inus bue, hinc illuc, dum illuc ventum est, ire illicet.* Quamadmodum enim, otio qui nescit uti, plus negotii habet: sic bene constitutae scholae ita illo utuntur, ut earum *άναπονων*, secundum Graecorum adagium, merito reputes *τὸν νεόντον ἀπογέλιον*: id nempe agentibus piis magistris, ut nec ipsi, nec, quos in disciplinam acceperunt, bonae indolis iuuenes, liberali suo otio male agere discant, probe guari illius CATONIANI, *cogitandum nimirum esse, quo pacto rato reddenda sit, non tantum negotiorum, verum et otiorum.* Otiatur interea, hoc est, a curis lordidis, laboribusque seruilibus digna vacatione frauentur: quam certe, si quis unquam, ii praesertim mereri mihi videntur, qui iuuenilem aetatem ad ingenuam virtutem ac liberales artes et scientias efformant. Annon ergo de istrah fia forte gratulandum potius est scholis, quam conuiciandum? O quam sapienter de ea re AVSONIVS:

Graia SCHOLA nomine dicta est,

Iusta laboriferis tribuantur ut OTIA Matis.

Otiatur porro scholae, hinc incredibilem illam, et quae sentiri magis, quam exprimi potest, in docendo voluptatem species, quam capiunt, qui in munere scholastico non tam suo ipsum commodo, quam qui amplificandae NVMINIS gloriae; qui ornanda saluti communis; qui denique tranquillandas conscientias operantur indefessi iuuentus magistri. Quod si enim, ut ait Comannum Musarum OS, PLINIVS, ad litteras incumbere, iam in se dulce OTIVM, honestumque, ac pene omni negotio pulchri est: quanto magis erit, si quem ex litteris iam ipsi percepimus fructum, eum tandem cum aliis communicare possumus. Et quemadmodum ingenuus pater molestissimum quemque laborem voluptati sibi dicit, ubi prouidet aliquando profuturum germanae soboli: ita quoque in ipsis adeo scholarum nausea, quam fingunt nonnulli, propemodum deliciantur fidi praeceptrors scholastici, si, quorum communes patres sunt, auditorum suorum salutis bene consilere, atque hic de praesenti simul, simulque et postero aeuo praecclare mereri poterunt. Itaque, (iterum ore mei Plini loquar) *hoc sibi negotium, hoc otium habent; hic labor, haec quies est; in hoc vigiliam, in hoc etiam somnum reponunt.* Quotiescunque ergo, ad excolenda iuuenium sibi concorditorum ingenia, auditorium suum intrat bonarum mentium formator, non ad triste Trophoni antrum se detrusum credit; sed adserunt otio pingui et alto: non proscriptum ad Lucanos saltus; sed missum ad Alcinoi pomaria, tantumque non hortos Hesperidum, ubi nouo quoquo obtutu, ad recentiores subinde delicias et nouum inuitatur otium. Videt enim ibi nascentem, et surculose quasi efflorescentem rem publicam, cuius aliquando fructus cum feri nepotes carpunt: bone Deus! quid dulcius, quam praegustare posteritatis gratiam! Ut silentio praeteremus, quos et quantos iam sibi ipse in conscientia reponat θυσίας et tranquillitatis fructus laetissimos; fructus, inquam, ita iucundos, ita largos, ut illis, quidquid aut stipendio suo, aut bona existimatione decursum intellexerit, ubertim compensatum exsartumque sentiat. Quodsi enim, ex mente SOCRAxis, foli tranquille viuant εἰ μηδὲ ἔκπλοι αἰλονοὶ οὐειδῆς, qui nibil absurditatis sibi concipiunt; quodsi (teſte AVGUSTINO,) qui veram requiem quaerit, eam ex bona conscientia iucundius inter aerumnas degustabit, quam ex mala inter delicias: quid impedit, quo minus et iis, qui in schole desudant, satie quippe tutis post hunc murum ahenenum; satis item hilaribus ad quotidianas has dapes, usu veniat, quod de bona conscientia depraedat BERNHARDVS, qui: *Bona, inquit, conscientia, quotidie virescit, laboribus non affigitur, denique afficit gaudio viuentem, consolatur morientem, aeternumque durat.* In summa: cordatior scholae magister quiescit in Domino, ut illi operetur: operatur Domino, ut in illo quiescat.

Atque inde etiam potissimum fit, L.B. ut scholarum OTIVM merito NEGOTIOSVM, vel, si maius cum PLINIO, studiosum dicendum fit. Cum enim, sunt verba Cordubensis, animi generosi fit, labore nuriri; ac boni viri, ne in otio quidem timere sudorem: quid, amabo, prius, quid antiquius laudabilis scholae praecceptor, quam, ut, quomagis ab illiberali labore immunis est, nec fodere, nec arare, nec haleces aut maceratos asellos diuendere edocitus; hoc sollertia inhiet laudi φιλοτεοίς ingenuae? Cuius o quantum sibi messem adsignatam intelliget, si, quae DOCTRINAES, quae DISCIPLINAE leges negotia iubent, eo, quo par est, mentis ardore conficeret velit! Quid enim? Effingere cerasus mentes ad folidas virtutes et scientias; exsculpere ex rudi truncu Mercurium; producere ex indigesto quasi luto tam varia στένη ἐκλογῆς;

proferre veluti ex lapidibus veros demum homines; tantumque non furca expelle ipsam, o quam depravatam, et usque recurrentem hominis naturam; qui labo hic, quod hoc opus est! Labor nempe, cui vix parem autem Daedaleum aut Deucalionem; opus, quod merito ad Herculeum, Sisyphiumque referas! Quidquid interea huius sit; non tamen leui brachio et *ἐν παρέγειν*; sed *καθόδονταις, οὐ γάρ,* *καὶ καθαίσις*, (ut fieri debebat in Sacris antiquis,) id ipsum fuscipit laboriosus scholiarum magister. Nulla ipsi dies, ut quandam Apelli, sine linea, i. e. sine dulci laboris exercitio; at nullus etiam labor sine prece. Sine prece etiam? Immo vero. Hac enim sola, crede mihi, beatur negotiosum otium; hac sola efficitur, ut exclamare possis: *Haud labor in Domino noster inanis erit.* Ad haec, quidquid docet negotiosus praceptor, in eo, hac triplici cura, o quam laboriosa, urgetur, ut quaecunque doceat, prius ipse intelligat; ut, quae quantumuis intelligat, communicare quoque cum aliis possit; ut denique, quae communicet, non ad scholae solum opinionem, verum, quod maximum est, ad communem usum et ornamentum publicum dirigit, accommodetque; nihil insuper auditoribus in futuram obliuionem obtrudens, nihil ad ostentationem ampullans, nihil ad offendiculum argutans; sed omnia referens ad veritatem et conscientiam: nunquam immemor mortali, docendam esse sapientiam ut honoretur; non ut spinosis quaestiuculis detorta deridicula fiat. Denique quidquid praecepit, quidquid suaderet, quidquidhortatur et castigat, ferio quidem agit et grauitet; neque tamen, praeassertum in re leuissula, usquam admista severitatia facuita, et truci quadam tyrannide; in id potius allaborans, ut vereantur magis, quam reformident, metue seruili expauscentii adspicunt occursumque eius, quos ducere quidem, atque, cum nolint, trahere quadammodo etiam; nec tamen inclementer trudere debebat: parentum ritu, qui, quos, tametsi sentiant amari nolle, contumaces filios, ferunt tamen, patientia locum facturi resipiscantia.

Atque hos quidem labores omnes ac singulos sincerus scholae doctor non actos demum, ut alios, iucundos habet; sed otium iam et iucunditatem ex iis capit, dum iis maxime distinguitur, indefesso nisu subinde iturus ulterius, haud sine argumento ratus, vere dixisse, quicunque dixerit: *Omnia cum scieris; est tamen, quod distas: omnia cum feceris; est tamen, quod facias.*

Habes itaque, L. B. utut rudi tantum penicillo heic adumbratum *negotiosum in scholis otium.* Nec est, quod verearum, ne seorsim a nobis sentiat faciatue praescens munieris scholastici *Candidatus delectissimus*, nempe, *Vir Cl. IMMANVEL FRIEDERICVS GREGORIVS, AA. M. Philologiae ac Scientiarum Sanctorum Cultor bucusque exquisitusissimus, itemque Regiae Societatis Teutonicae Regionontanae Sodalitis dignissimus.* Quare enim, qui ab inuite aetate, in litterarum studiis, quae ad eruditum humanitatem faciunt, iam *Discendo in scholis*, omne suum otium negotiisque reposuit, nunc demum, ubi ad *DOCENDVM* in iis peruentum est, mutaret animum? Quemadmodum enim, suffragante *Venusino*, quo *femel est imbuta*, recens seruabit odorem *testa diu*: ita generosum pectus, quae primo imbibit honesti decoris praecepta, tantum abest, ut posthac dediscat, dememinentique, ut potius altiori subinde mente reponat. Facit id NOSTER non *Gorlici* solum, *BAVMEISTERO* in primis, illo *Musarum delicio!* sed et deinceps in alma *Leuorea*, sub *BERGERI* praecipue *Tv PIANT*, et reliquorum simul Academiac illius Luminum auspiciis. Facit gnauiter; facit cum magna sua laude et commodo; fecit cum ingenti *Parentis Opt. IO. FRIEDERICI, AA. M. et apud Rotbenburgenses Lusat. Protomystae*, adhuc hodie palcerim merentis, oblestatum; fecit denique Bonorum omnium, *PROCE RVM* praecepue *LAVBNAE CIVITATIS* suffragio. Hi enim, perspectis ex fama, scriptisque edecumatissimi homini egregii dotibus, omni fuit puncto consensere in id, ante alias dignum esse *GREGORIVM*, cui vacuefactam ex discessu *Præclariss. TAVBNERI, CONNECTORIS SCHOLASTICI* Spartan committerent. Nec defuit *Cœlestis Præsidens* negotio. Exhibuit enim follemni Vocationis, quam vocant, tabula, fausta quam piissima adstipulatione: eo nunc processit nostra expectatio, ut nihil ultra restare videatur, quam publica boni Viti ad capessenda haec munus, inaugratio. Cui Sollemnitas cum dies diuersus fit proxime instans *xii. IANVAR. VOS*, quotquot estis, Publicae pariter ac Scholasticæ rei, *EPOPTAS, PATRONOS, AMPLIFICATORES, FAVORES, BENEFACTORES, AMICOS*, ad illam invitorum velim quam decentissime.

Adestote itaque, *O Pia Laxbae Literaturae Numina*, et in hac decora magis, quam splendida Panegyri, ad praesitutum diem, aetorum ad Hor. ix, antemer. primo quidem milii, prævia de *TIMO THEO SCHOLASTICO*, fine, quod idem est, *de non contemendo iustitatis doctore iuvene*, declamatiuncula, ab *INCLVTIS PATR. CONSCR.* demandatum mihi Inaugurationis ritum in actum deflucturo; dein vero ipsi *GREGORIO* nostro, *de optima ratione consulendi scholiarum famae dissertatione*, vacua cum beniuola mente aures commodeat! Rogamus, obsecramus. Faxit *Cœlestis scholiarum arbitrus*, omnia feliciter! Valete P.P. *LAVBAE* d. ix. *IANVAR.* A. R.S. cl. la cc. li.

*

no.

Hg
176

A. Ω.

AVSPICIIIS DIVINIS

IVBENTE SIC

AMPLISSIMO

CONSULE ET SENATV

MAE CIVITATIS

ANENSIS

CLARISSIMO

FRIEDERICO
GORIO

A. M.

IORIS QE LITTERATVRAE

RAESTANTISSIMO

ETATIS TEVTON REGIOMONT

DIGNISS

ONRECTORIS

BANO LYCEO

ET SOLLEMNI FORMVLA

EMANDANDA

INDICIT

QE SIMVL

LAVBAE PROCERES

OMNES ILLVS ORDINES

IPSIS LITTERIS

AVT. BENE CVPIVNT

AEC SOLLEMNIA

ID IO CCII HOR. IX ANTEM CELEBRANDA

NATA HAC

ARVM NEGOTIOSO

LVSIONE

PERAMANTER

INVITAT


SEIDELIVS

RECTOR

LIPS AG LATINAIE IENENS

DALIS

LAVBAE EX CHALCOGRAPHEO SCHILLII.



B.I.G.	Black			
8				
7				
6				
5				
4				
3				
2				
1				
1	Yellow	Red	Magenta	White
2				
3				
4				
5				
6				
7				
8				
9				
10				
11				
12				
13				
14				
15				
16				
17				
18				
19				
Centimetres	Blue	Cyan	Green	Yellow
Inches	1	2	3	4
1	2	3	4	5
2	3	4	5	6
3	4	5	6	7
4	5	6	7	8
5	6	7	8	9
6	7	8	9	10
7	8	9	10	11
8	9	10	11	12
9	10	11	12	13
10	11	12	13	14
11	12	13	14	15
12	13	14	15	16
13	14	15	16	17
14	15	16	17	18
15	16	17	18	19
16	17	18	19	
17	18	19		
18	19			
19				